DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XII.

PONT. MAX.

AB ABBATE

LAZARO OPICIO PALLAVICINO
PATRITIO GENUENSI
COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORE.

ROMÆ, Typis Rochi Bernabò, MDCCXXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI XII.
PONTIFICI MAXIMO

ABBAS LAZARUS OPICIUS
PALLAVICINUS

FELICITATEM.

GRATISSIMI *erga Te animi*, BEATISSIME PATER, *meique obſequii ſignificationem aliquam daturo, nihil mihi cadere optatius potuit, quam ut de*

Digitized by Google

Auguſtiſſimo TRINITATIS *Myſterio dicerem, & , quam haberem, orationem inſcriberem Tibi, atque offerrem. Quoniam vero tantam in dicendo expertus ſum Humanitatem tuam, ut benignis orationem meam auribus exceperis, adjeciſti animos, ut ſummam voti conſequerer, ſiſteremque Tibi munus dicentis exiguitate minimum, argumenti dignitate hujuſmodi, quod ad Te maximè videretur pertinere. Nulli etenim magis, quam catholicæ Fidei Cuſtodi, & ſanctiſſimo Religionis Interpreti ſacrum decet eſſe, quidquid caſte, & integre de ineffabili Myſterio dicitur, quod caput eſt Religionis, &*


Fi-

Digitized by Google

Fidei. Obtuli igitur, quod tuum erat; neque aliud mihi ſupereſt, niſi ut ab Deo bonorum omnium Auctore Tibi fauſta omnia precatus, Benignitati tuæ grates habeam ampliſſimas, qua inter dignas Principe, dignas Pontifice maximas curas me excipere, & benedictione tua augere non dedignaris.

Digitized by Google

Digitized by Google



ORATIO.

QUAMQUAM multa ſint, BEATISSIME PATER, quæ de ineffabili TRINITATE una hæc nobis ſancta, atque incorrupta fides commemoranda conceſſerit: ea tamen omnia cum retulerimus, tantum abeſt, ut Auguſtiſſimam TRINITATEM attigiſſe dicendo videamur, ut etiam, quantum dixerimus, omnino dici non poſſe intelligamus. Decebat enim lucem, quam habitat inacceſſibilem tribus diſtincta Perſonis divina Natura, ita humanæ mentis aciem retundere, ut ſcrutator majeſtatis opprimeretur a gloria, & cum ſe imparem fateretur, qui tantum

Auguſtinus lib. 15. de Trinit.

1. Timot. 6. 16.

Prov. 25. 27.

Digitized by Google

tum poſſet aſſequi cogitatione Myſterium humili pronus fide adoraret. Quamobrem de tanta rerum ſublimitate dicturo nihil mihi admodum ſupereſſe comperio, niſi ut duobus illis finibus, quos ſibi aliquando circumdedit ſcribens de TRINITATE Auguſtinus, oratio mea includenda eſſe videatur; ut dicam ſcilicet ineffabili TRINITATE neque aliquid laborioſiùs quæri, neque fructuoſiùs aliquid inveniri.

Lib. 1. de Trinit.

Ac primùm quantus futurus ſit in Deo exquirendo labor, vel ipſa altitudo Sapientiæ, inveſtigabiles viæ ejus, ſcientia numerum non habens, neque finem magnitudo ſatis ſuperque declarant. Quæ igitur humanæ diſciplinæ peritia, quod ingenii lumen, quæ ſagacitas cordis TRINITATIS continget arcanum? Ubi nihil eſt, quod non fuit, nihil loco concluditur, quia totum immenſum, nihil initio prævenitur, quia totum eſt ſempiternum. Ego verò ſic exiſtimo neque Angelorum linguas, qualeſcumque, aut quantæcumque illæ ſint, cum omni rationali natura congregatas, vel minimam illius Divinitatis partem ſatis congruè conſequi poſſe, nedum valeant explicare. Quare, cui mirum videri poterit, ſi vel Abraham, vel Moyſes, vel antiquæ legis Prophetæ,

Fulgentius ad Traſim. l. 2. c. 1.

Baſilius homil. 15. de Fide.

tæ, ſive etiam aliquot novæ legis Apoſtoli, cum Deum videre, quantum fas erat homini, potuerunt, tum maximè humiles ſe, tenueſque exiſtimarint; neque idoneos, qui rerum cognitarum magnitudini linguæ imbecillitate reſponderent? Comprehendi igitur, atque enarrari nullo modo poteſt, quod quærimus; adhuc tamen eſt requirendum. Atque utinam in hujuſmodi labore omnium noſtrum vires, animique convaleſcerent, quos illis verbis hortatur Propheta: Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper. Si etenim quo magis ad Dei notitiam accedimus, eo noſtram magis deprehendimus infirmitatem: quandiu in ipſa rerum incomprehenſibilium inquiſitione proficimus; quandiu tam excellens bonum quærentes efficimur meliores, nihil eſt, quod ab tam ſancto, tam ſalutari, tametſi maximo labore ceſſemus.

Auguſtinus lib. de Trinit. ult.

Pſal. 104.

Auguſtinus ibidem.

Sed jam ſatis multa de difficultate, & anguſtia cognoſcendæ TRINITATIS verba feciſſe videor, reſtat nunc, ut hanc ſollicitam mentis curam felix altera cogitatio deliniat, & conſoletur, nihil ſcilicet poſſe Auguſtiſſima TRINITATE fructuoſiùs inveniri. Et ſane TRINITATEM Deus Pater nobis manifeſtavit, cum propter nimiam, qua nos dilexit,

ca-

Digitized by Google

caritatem, in ſimilitudinem carnis peccati
Idem lib. de Spiritu, & Anima. miſit Filium, ut nos ſalvaret, miſit Spiritum Sanctum, ut nos adoptaret in filios. Erit deinde aliquis, qui cum hæc audierit, Patrem in pretium redemptionis Filium dediſſe, Spiritum Sanctum in privilegium amoris, ſe denique ſervaſſe hæreditatem adoptatis; erit aliquis, inquam, qui tot auctus beneficiis, & cumulatus ſe totum Deo, & pluries deberi non fateatur? Nemo profecto quiſquam. Imo verò, ſi ad Deum, ut per fidem licet,
Sapien. 1.1. propius accedamus, Patrem omnia ſuaviter diſponentem, qui nobis hanc conceſſerit po-
1. Joan. 12. teſtatem, ut filii Dei nominemur, & ſimus, inveniemus. Inveniemus Filium quaſi Primogenitum in multis fratribus, qui humanam
Hebr. 5. 9. Deus naturam aſſumpſerit, ſemetipſum pro nobis dederit, qui Pontifex a Deo appellatus vicariam etiam ſuimetipſius ampliſſimam in terris reliquerit Poteſtatem. Comperiemus denique Paraclitum Spiritum, ſignantem nos ſpiritu promiſſionis ſancto, qui noſtræ pi-
Ephes. 1.13. gnus eſt optatiſſimæ hæreditatis. Perſonæ
Auguſt. lib. de Spir. & An. igitur, & nomina amoris erga nos, & ſuavitatis plena ſunt in Auguſtiſſima TRINITA-
1. Corint. 3. TE, cujus gloriam ſpeculantes in eamdem imaginem a claritate in claritatem transformamur. Quare, qui capi poteſt fructus am-

pliſ-

Digitized by Google